



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LXII. De S. Eustathio Martyre.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

C A P V T L X I I .

De S. Eustachio martyre.

29. Sept.

Eustachius qui ante susceptam Christi fidem Placidus fuerat nominatus & præfectus equitum in bello Iudaico sub Vespasiano & Tito nobili militiæ titulo egregiam operam nauarat, vt superius etiam dixi, alterum Iobum & perfectæ patientiæ viuum exemplar. Christianis Sacramentis initiatus sese exhibuit. neque satis scio num quis alius noui Testamenti athleta in hac palæstra generosius se exercuerit, prout ex vitæ eius actis apud Surium perspicuè liquet. Cur verò & hunc præcedentibus annumerem, in caussa est quòd præter omnigenas tribulationes quas semper patientissimè sustinuit, etiam sæuissima peste afflictus fuerit, adeò vt tota eius familia vxore tantum & duobus filiis exceptis, eadem lue fuerit absumpta, moxque è potentissimo principe & viro nobilissimo, bonorum omnium amissione miserrimus effectus, solum spontaneo exilio vertere maluit. quàm Romæ innumeros calamitatis suæ testes lacrymantibus quotidie aspicere oculis, quibusdam miseras eius vices dolentibus, quibusdam verò factus obprobrium hominum & abiectio plebis. Sed quis diuinam prouidentiam in huius viri directione satis poterit demirari? bona omnia iam amiserat, dignitate pristinâ exciderat, vxor ei à barbaro nauta in traiecti maris nauulum erepta erat, duo filij in solitudinem à feris abducti, ipse se in seruum venundare ad vitâ sustentandam cõactus erat: & ecce mirabili metamorphosi demum ipse

ipse à Traiano Imp. quo cum, agente tunc adhuc decimæ legionis præfectū in bello Iudaico militauerat, cuique eius eximia virtus iam inde perspecta erat, inquisitus & reperi- tus, contra Barbaros Romanis infestos ab eodem Impera- tore dux exercitus constituitur: filios suos sub iisdem si- gnis militantes quos à feris dilaniatos putabat, sed mirā- culosè seruari erant, mirabiliter reperit: vxorem miserè an- cillantem, mirabilius agnoscit; tandemque potita contra hostes victoria, in pristinum dignitatis gradum restituitur. denique fidei Christianæ apud Hadrianum Imp. accusa- tus, in eadem constanter perseuerans & idolis sacrificare renuēs, ab eodem Imperatore ceu nouo Phalaridē in can- dentem bouem æneum cum vxore & duobus filijs conij- citur & glorioso martyrio vitæ immortalis brauium con- sequitur. Sponsor sum, lectorem non pœnitebit si bonas horas in euoluenda eius vita collocauerit. quia insuper sen- tiet se contra omnes tribulationum insultus per eandem tamquam per patientiæ clypeum plurimūm præmuniti. Pingitur autem eodem pœnē schemate quo S. Hubertus Episcopus Leodiensis patronus venatorum, scilicet ad in- star venatoris procumbentis ante imaginem Crucifixi in- ter cornua cerui apparentis, eò quòd cum adhuc gentilis esset huius exercitij fuerit studiosus ac more nobilium ope- ram venationi dederit, cui Christus se ita conspiciendum exhibuit & ad Rom. Pontificem pro salutari baptismi ex- piatione misit.

Hi sint sancti Dei & sacri contra pestem patroni Tutelares quos pro angustia temporis & præsentis oportuni- tate conquirere mihi fuit integrum, qui à suis clientibus contagiosam luem propulsarunt, aut gratiam, eandem propulsandi, à Domino acceperunt, quod vel eā afflicti, vel defuncti sint; & haud dubiè omnes illos præseruabunt

N n qui

Baron
an. 1029.

qui deuotâ mente in Domino eosdem inuocauerint. Non ambigo plures multò esse, licet haecenus mihi in Ecclesiastica historia ruditer versato, & leuiter percurrenti non omnes statim occurrerint: illud candidè profiteor me nullum dolo malo aut simili adfectu de consulto prætermisisse ex aliquo Sacro Ordine vel Ecclesia, vt omnem æmulationis speciem euitem. quin lubens & ex animo cum Illustriss. Card. Baronio (cui tamen comparatus vix locusta ego sum) inuidiam ab Hispano homine passio, conquerente quòd de Gallijs multa, de Hispania verò pauca admodum annalibus suis insereret, respondeo: Dax scribam siue describam potius. collector sum rerum antiquarum, & vbi ex scriptorum frequentia messis copiosior inuenitur, densiores in Annalibus exurgunt ex messe manipuli: rariores verò cum ex scriptorum inopia in sterili messe non impleat manum suam qui ex ea manipulos colligit. Scito me magno redempturum pretio fore si quis in tanta scriptorum inopia laboranti, antiquorum monumentorum copiam faceret quibus eosdem locupletare possemus annales. ita Baron. sub cuius excusationis umbraculo delitescens dico pariter me ex scriptoribus diuersis collegisse quos inuenire potui: magni beneficij loco habiturus si qui alios amicè & fideliter suggererint. Scio quidem in libello quodam Sacrarum contra pestem precum nuper Bruxellis edito quosdam haberi quos hic omisi: verùm de sano consilio id feci; in gestis enim illorum nihil tale inuenire potui, & libellus ille incerti authoris parua est authoritatis, & tamquam superstitionem olens ab Ecclesiastica potestate prohibitus. Preces quidem bonæ sunt, sed quod vltimo folio ponitur non satis superstitione caret. ait enim Imperatorem à Pontifice Romano (neutrius nomen, neque tempus exprimit) sacrum aliquod amuletum contra pestem petisse, qui ei rescripserit.

si colat

scolat Diuam Virginem ac secum gesserit hæc sacra nomi-
 na, Iesus, Maria, Anna, Antonius, Nicolaus, Bernardus,
 Gertrudis, Martinus, Siluester, Rochus, Sebastianus, Adria-
 nus & Christophorus, atque in eorum honorem recitet
 Pater noster & Aue Maria simul etiam octo rosaria spatio
 octo dierum, idque tantummodò semel, certò sibi possit
 persuadere se peste non moriturum sicut firma experien-
 tia, inquit, in multis ciuitatibus fuit deprehensum in qui-
 bus illa statim cessauit. Non improbo hâc laudabilem illam
 à primitiuæ Ecclesiæ incunabulis vñtatam consuetudinem
 gestandi penes se aut sacra Sanctorum nomina descripta
 in schedulis, aut sacras reliquias, aut Euangelium Christi,
 aut agnos Dei benedictos, similiaque deuotæ religionis
 amuleta. nequaquam; scio à viris pijs id sæpiùs factitatum,
 sine vlla suspitione erroris contra varios aduersitatum ca-
 sus: verùm damnandus prauus ille & præposterus abusus
 est quo multi seducti qui huiusmodi peranimata, amuleta,
 breuia, inuolucra, reliquias, verba sacra, preces de-
 scriptas, &c. gestant, certissimò sibi persuadent se
 propterea non posse vel à peste inuadi, vel ab hoste
 lædi, aut sine confessione mori, licet enim fortasse ni-
 hil superstitionis exteriùs admisceatur; animus tamen
 illis rebus superstiosè vitur, nempe ad certum effe-
 ctum quem neque natura sua, neque ordinatione diui-
 na aut Ecclesiæ habent, scilicet ad certam salutem animæ
 vel corporis.

Secus planè est de Sacramentis quæ ad certos effectus
 à Christo Domino instituta sunt. Et potest hæc do-
 ctrina confirmari, quia effectus ille sanitatis non potest
 expectari à vi naturali illarum rerum, nec etiam à Deo,
 quia nec per se nec per Ecclesiam illas instituit, restat ergo
 vt expectetur à malignis spiritibus. Estque huiusmodi

Na 203039q. rerum

rerum abusus, ex genere suo peccatum mortale, maxime quando opus externum est superstitiosum. Ratione tamen ignorantia & bonae fidei plerique excusantur à mortali, sicuti multi Aethiopes excusari possunt hodie qui circumciduntur, putantes se per hoc Christum imitari, quia sic instituuntur à suis Episcopis & Sacerdotibus, nec unquam contrarium audiuerunt. Secus est de Christianis quibus saepe ignorantia crassa vel dolus imponit, ut si moniti à Parochis suis vel alijs quibus tenentur credere, nolint disistere, vel suborto dubio non inquirant. Plura de his vide apud Lessium & alios similia: ex professo tractantes. Est autem Superstitio generatim dicta, falsa religio, id est, vitiosus cultus veri vel falsi numinis. unde patet duas esse species in quas immediate illa dividitur: Superstitionem scilicet cultus indebiti seu incongrui, & Superstitionem ratione rei cultae. illa est cultus peruersus veri numinis: haec est cultus falsi. dupliciter siquidem in cultu excedi potest. vel enim assumitur id quod non congruit: vel exhibetur ei cui non congruit. Hoc interim denuò addo, plerosque saltem rusticos in plurimis suis à superstitione, licet in speciem talis videatur, excusari, ratione bonae fidei.

Less. l. 2.
c. 43 de
Superst.

C A P. LXIII.

Orationem solam contra pestem non multum praestare.

Hactenus de Oratione & de Sanctis illis egimus qui tamquam particulares pro auertenda peste parochiali Tutelares, eam grassante per orationes apud Deum inuocandi sunt, Sed non omnis qui dicit mihi; Domine, Domine, propter hos statim exaudietur: sed qui facit voluntatem